

11 septembris

B. FRANCISCI BONIFACIO

presbyteri et martyris

Memoria ad libitum

Ant. ad introitum

Iste beatus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem,
et a verbis impiòrum non tímuit;
fundatus enim erat supra firmam petram.

Collecta

Omnipotens sempitèrne Deus,
qui vita et martyrio beati Francisci, prebyteri,
mirabile exèmplum pastòris
Christo eiusque gregi plene dediti nobis praebuisti,
concède, quaesumus, eius intercessione,
ut, fortes in fide, Regnum tuum et iustitiam eius instànter nuntiàre valeamus.
Per Dòminum.

Super oblata

Accèpta tibi sint, quaesumus, Dòmine, múnera,
quae in commemoratiòne beati presbyteri et màrtyris tui Francisci defèrimus,
ut eo maiestàti tuae sint plàcita,
sicut illius effusio sànguinis apud te èxstitit pretiòsa.
Per Chistum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 16,24

Qui vult venire post me, àbneget semetipsum,
et tollat crucem suam,
et sequatur me, dicit Dòminus.

Post communionem

Praestent nobis, quaesumus, Dòmine,
sacra mystèria quae sumpsimus
eam ànimi fortitudinem,
quae beatum Franciscum presbyterum et màrtyrem tuum
reddidit in tuo servitio fidèlem et in passiòne victòrem.
Per Christum.